

rifaei, qui audiantur, nec ne, qui non modo pessime viuerent, sed tantorum mysteriorum etiam essent rudes. Huic itaque dubio vt occurreret, sapienti consilio *τότε τῦναι*, id est, eo ipso tempore, cum Phariseos in ruborem dedisset, coepit de ministerio eorum verba facere, idque non modo ad eos, qui secum Hierosolymas aduenerant, nomine *μαθητῶν αὐτῶν* expressi, sed etiam ad *ὄχλους* turbas, quae in templum, ad audiendum tantum Prophetam, confluxerant.

§. II. De *Phariseis* & *Scribis* agere cogitanti, amplissimus se aperiebat differendi campus, sed, veritus, ne fine meo excidam, operae pretium in eo ponam, vt ea tantum, quae maioris sunt momenti, persequar. Deriuandum nomen Phariseorum, puto, non a *פָּרַץ* *rupit*, quod Theophylacto; sed nec a *פָּרַס* *mercedem retribuit*, quod VITRINGAE in *Obs. Sacris L. 1. Diff. 3. §. 9. p. 220.* placet; sed a *פָּרַשׁ*, significationem non tam *interpretandi*, quam *separandi*, habente, ita, vt Phariseos rectius *ἀφωρισμένους* Separatistas, quam Interpretes, vtut neque hoc excludatur, dixeris. Quodnam vero inter hos, atque Scribas intercesserit discrimen, quod tamen ex Luc. XI, 45. seq. discimus, id difficulter ostendi posse, fatetur, cum aliis eruditis, LIGHTFOOTVS, T. II. p. 529. Illud certum est, scribarum nomen non sectae, sed officii fuisse. Tota vero confusio inde orta esse videtur, quod alii ciuiles, alii Sacri, & vtrique vicissim non vnus eiusdemque generis fuerint, & multi etiam Pharisei, iuxta Act. XXIII, 9. Christo vero sermonem de iis tantum esse, qui, in dignitate constituti, auctoritate apud populum valebant, inde facile colligere est, quod in *Mosis cathedra sedere v. 2. onera bumeris aliorum imponere, 4. primos accubitus & cathedras ambire, 6. populi duces haberi, 24. ius de doctrina cognoscendi, & prophetas occidendi sibi vindicare, 34. dicantur.*

§. III.